DISPVTATIO INter clericum et militem ſuper poteſtate prelatis eccleſiæ atq; principibus terrarum commiſſa ſub forma Dialogi.

LONDINI in ędibus Thomę Bertheleti.

Willus Ockham Anglus Ordinis S. Francisci Monachus. autor fuit huius Libri. Obijt 1347. Monachij.

Guilhelmus Okham Monachij in Conuentu Ordinis sui mortuus est et ibi sepultus in choro ad dexteram Cornu Altaris cum hac Inscriptione insculpta Lapidi marmoreo.

Anno Dñi 1347. decimo Aprilis obijt eximius Doctor sacræ Theologiæ Frater Guilhelmus dictus Occam de Anglia.

Rerum in Anglia tunc poliebatur Edwardus tertius.

Pitsæus de illustr: Angliæ scriptorib. fol. 456.

CLERICVS SERMONIS SVI exordium ſub hac forma poſuit dicens.

Clericus.

IROR optime miles, paucis diebus tempora mutata, ſepultam iuſtitiam, euerſas leges, iura calcata. Miles. Grandia uerba ſunt iſta, et ego laicus, qui q̃uis paucas puer didiſcerim litteras, non tamen ad profundum ueni, ut tam alta uerba a me poſſint intelligi. Et ideo uenerande clerice, ſi mecũ deſideras habere colloquium, planiorem oportet accipere ſtilũ. Clericus. Aetate mea uidi Eccleſiã in honore magno apud reges, principes, et nobiles uniuerſos haberi: et nunc uideo econtra, miſeranda Eccleſia facta eſt uobis omnibus preda, exigũtur à nobis multa, dantur multa: ſi noſtra bona non damus, rapiuntur à nobis, conculcantur iura noſtra, libertates effringuntur. Miles. Non facile credam regem (cuius conſilium ſunt clerici) iniuſte agere uobiſcum: aut apud eum perire ius ueſtrum. Clericus. Imo certé cõtra omne ius iniurias innumeras ſuſtinemus. Miles. Scire uellem, quid uocatis ius. Clericus. Ius uoco decreta patrũ et ſta-

tuta romanorum pontificum. Miles. Quę il li statuũt, si de tpalibus statuunt, uobis possũt iura esse, nobis uero nõ sunt. Nullus enim potest de his statuere, sup q̃ constat ipsum dominium non habere. Sic nec francorũ rex potest statuere sup imperiũ, nec imperator super regnum suũ. Et quemadmodũ terreni principes nõ possunt aliquid statuere de meris spiritualibus, sup quę non acceperunt potestatem, sic nec vos de temporalibus eorum, sup quę nõ habetis autoritatem. Vnde friuolũ est, quicqd statuistis de temporalibus, sup quæ potestatẽ non accepistis a deo. Vnde nup mihi risus magnus fuit, cum audissem nouiter statutũ esse a dño Bonifacio octauo, q̃ ipe est, & esse debet super omnes principes et regna. Et sic facile potest sibi ius acquirere sup quamlibet rem, cum non restat nisi scribere: quia totũ erit suũ cum scripserit, & sic totũ erit vestrum: & vbi statuere nihil aliud est q̃ sibi tenere velle. Nihil ergo aliud erit ius habere, q̃ velle. Non deficit ergo, nisi vt scribat: Hoc volo ius esse, cum voluerit castrum meum, vel villam meam, agrum meum, aut pecuniam et thesaurum habere. Nec latet uos sapientem clericum, ad q̃tum uos deducat ista disputatio ridiculum. Clericus. Satis acute domine miles & uersute ista contra nos protulistis, et

ad

ad hoc totius ſermõis ueſtri ſeries ſeu diſcurſus (quantũ ipſe intelligo) tendit, q̃ dñs papa de ueſtris temporalibus nihil poteſt ſtatuere: quia non cõſtat eũ ſuper tẽporalibus ueſtris dominiũ accepiſſe. Et ſi nos ipſi ex noſtris uelimus probare dictis aut ſcripturis, totũ pro nihilo ducitis, quia noſtrũ ſcribere (ut dicitis) dominiũ nobis aut poteſtatẽ (quę aliunde nõ uenerat) dare non potuit. Sed ſi Chriſtianus uultis et catholicus uerus eſſe, non negabitis Chriſtũ rerum oĩm dñm eſſe: cui dictũ eſt in pſalmo. 2. Poſtula a me, et dabo tibi gentes. &c. De quo etiã ſcriptũ eſt: Quia ipſe eſt rex regũ et dñs dominantiũ. Iſta non ſunt noſtra, ſed dei uerba, nec nos ea ſcripſimus, ſed ea miſit dñs, et ſpirituſſanctus dictauit. Et quis dubitat illũ ſtatuere poſſe: quem conſtat uniuerſorũ dominum eſſe? Miles. Nullo modo diuinę poteſtati uel dominationi reſiſto, quia Chriſtianus ſum, et eſſe uolo. Et ideo ſi p diuerſas ſcripturas oſtenderitis ſummos pontifices eſſe ſup omnia temporalia dominos, neceſſe eſt omnino reges et principes ſummis pontificibus tam in ſpiritualibus q̃ in temporalibus eſſe ſubiectos. Clericus. Facile eſt hoc ex ſuperioribus poſſe oſtendi. Tenet enim fides noſtra Petrum apoſtolum pro ſe et ſuis ſucceſſoribus inſtitutum eſſe plenum

uicarium Iesu christi. Et certe plenus uicarius idem potest, quod et dominus eius, cũ nulla exceptione, nulla potestatis diminutione est uicarius institutus. Si ergo non negatis Christum de uestris temporalibus statuere posse, qui dominus est cęli et terrę, non potestis sine rubore eandem potestatem Christi pleno uicario denegare. Moses. Audiui a uiris sanctis ac deuotissimis duo tempora in Christo distingui, alterum humilitatis, et alterũ potestatis. Humilitatis usq; ad suam passionem, Potestatis Post suã resurrextionem: quando scilicet ipse dixit: Data est mihi oĩs potestas in cælo et in terra. Matthei ulti. Petrus aũt constitutus est Christi uicarius pro statu humilitatis, non pro statu glorie et maiestatis. Non enim factus est Christi uicarius ad ea, quæ Christus nunc agit in gloria: sed ad ea imitanda, quę Christus egit humilis in terra, quia illa nobis necessaria sunt. Illam ergo potestatem suo uicario commisit, quam homo mortalis exercuit: non illam, quam glorificatus accepit. Et ut ista per scripturas (quas inducitis) ostendamus, de eisdem scripturis uobis testimonium proferemus.

IPSE enim Christus dixit Pylato: Regnũ meum non est de hoc mundo. Et q̃ non uenit ministrari, sed ministrare. Luce. 2. Hoc testi-

monium adeo manifeſtum eſt, ut hominem reſiſtentem poſſit confundere: et ceruicem quamcunq; duram obterere. Et hoc ſic dixit Ieſu quidam de turba: Magiſter, dic fratri meo, ut diuidat mecum hereditatem. At ille dixit ei. O homo quis me conſtituit iudicem et diuiſorem ſuper uos. Luce. 12.

AVDITIS ergo aparte Chriſtũ in temporalibus nec iudicem nec diuiſorem conſtitutum. Ergo in ſtatu illo ſuſcepte diſpenſationis nec temporale regnum habuit, nec etiã affectauit: imo cum illi multiplicatis panib⁹ commederent, fugit. Et [illegible] in commiſſione petro facta, non claues regni terrarum, ſed claues regni celorum tradidit. Et hebreorũ pontifices conſtat regibus fuiſſe ſubditos, et a regibus (quod procul a uobis abſit) fuiſſe depoſitos. Et ut ſcias Chriſti uicarium ad ſpirituale regnum non ad temporale dominiũ aſſumptum, accipe ab ipſo Paulo nec minus clarum teſtimoniũ. Dicit enim ſic: Omnis pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur, in his, que ad deum ſunt, non ad gubernandum terrenum dominium, ſed ut offerat dona et ſacrificia pro peccatis. Vides ergo, q̃ preficitur pontifex in his, que ſunt ad deum: cum Paulus Timotheo ſcribat: Nemo militans deo ſecularib⁹ negocijs

se implicet. Patet ergo Christum regnum temporale non exercuisse, nec Petro cõmisisse. Nam et Petrus dicit, Actuum. vi. Non est æquum nos derelinquere uerbum dei, et ministrare mensæ, id est temporalibus dispensandis. Et quanq̃ possint aliqua temporalia per ipsos pontifices dispensari: Satis tamen patet, q̃ non debeant in terrenis regnis et principatibus gubernandis, quę omnia sibi uendicãt occupari. Vnde autoritates (q̃s induxistis superius domine clerice) scilicet postula a me. &c. et q̃ ipse est rex regum. &c. non ad statum primum pertinet, sed ad secundum. In quo primo statu sic patuit, q̃ Christus nullam potestatem temporalem exercuit: imo a se penitus abdicauit, et in his solum, et non in alijs, quę ad dispensationem nostrę salutis exercuit, Petrum sibi uicarium destinauit: quem nec militem fecit, nec coronauit in regẽ, sed in sacerdotem et ep̃m ordinauit. Quia si uultis adhuc cõtendere Christi uicarium eam potestatem in temporalibus habere, quam Christus habebat in cęlis, non quam Christus exercebat in terris: forsan ista pertinacia non erit in fine uobis gratiosa, quod uobis patebit. Constat enim cuilibet fideli de deo sapienti, q̃ si deus præciperet pecuniam suam, agrum suũ, aut uineam alicui

eni alteri dare ſine cautione, nulla petita ratione, nulla expreſſa cognitione, ſtatim debe ret obedire. Si ergo contenditis papam eandem poteſtatem habere: Ergo neceſſe eſt concedere, q̄ omnia ueſtra bona et noſtra poteſt ſine cauſę cognitione, cui uoluerit, nepotulo uel conſanguineo dare, tollere principatus, et regna eis dare pro libito uoluntatis. Sed q̄ abſurda ſint iſta uos uidete. Et utrū placerent, ſi uobis fierent, reſpondete. Quod ſi a tanta abſurditate recedere per uiuam rationem cogimini: et papa cogetur reſilire. Tenendum eſt igitur, Quod non accepit in temporalibus tantam poteſtatem ipē Chriſti uicarius, ſed eam ſolam, quam Chriſtus in ſua humilitate exercuit et oſtendit. Clericus. Negatis ô miles eccleſiam congnoſcere de peccato? Miles. Hoc abſit. Nam qui hoc negauerit, et pœnitentiam et confeſſionem abnegabit. Clericus. Si quid iniuſte agitur, peccatū eſt: et qui habet cognoſcere de peccato, cognoſcet de iuſto et iniuſto. Cū ergo iuſtum et iniuſtum in negocijs rerum temporalium ſit, conſequens etiam eſt, ut de cauſis temporalibus debeat iudicare. Miles. Argumentum iſtūd cornutum eſt, cuius uanitas et infirmitas per argumentum ſimile repellenda eſt. In ſuſpendendis latronibus alīſq̄

damnandis psonis habetur iustum et iniustũ, et etiam peccatum. Ergo etiam ratione peccati debet papa de sanguine iudicare. Sed plumeum est argumentum: ideo leui ratione sustlatum. Nunc restat nobis ostendere, quomodo uestra cognitio (domine clerice) circa iustũ et iniustũ secũdum leges humanas (quę de talibus sanxerunt) sit de temporalibus iudicandis: sed secundum quas et sub quibus personis subiectis omnibus est uidendum.

MANIFESTVM est ergo illum debere secũdũ leges iudicare: et secundũ eandẽ de iusto et iniusto cognoscere, cuius est leges cõdere et habere, interpretari, exponere, et custodire, facere et grauare, et mollire, cum uidetur expedire. Si ergo uos in iudicio temporalium simul uultis cum illo contendere aut concurrere cognoscendo de iusto et iniusto: iam contra scripturam uestram aratis cum boue et asino, et cum principe dicente. Hoc est iustum, pontifex dicet, hoc est iniustum. Fiet quod dicit Abacuc propheta. In principio factum est iudicium contradicente potentiore: propter hoc lacerata est lex, et nõ peruenit usq; ad finem iudicij: quia uere non erit hoc iusticiam et iudiciũ facere in terra, sed iusticiam et iudicium in terra lacerare. Et ego ostendam uobis secundũ Paulum, unde uestra cogni-

cognitio debeat incipere. Princeps ſuo iure de iuſto et iniuſto cognoſcet, et eius præceptum unuſquiſq; (ſicut tenetur) attendet, et ei obediet, ſicut prçcipitur Deutero. 17. Si quis autem tumente ſuperbia non obedierit eius imperio, nec princeps (cuius fuerit officium iudicandi) habet poteſtatem reſiſtendi uel coercendi? tunc incipit ueſtra cognitio: quia tunc accedere debet ueſtra monitio, dicente apoſtolo Paulo ad Tytum tercio: Admone illos principatibus et poteſtatibus ſubiectos eſſe et ſubditos. Et ad Romanos. 13. Omnis anima poteſtatib⁹ ſublimioribus ſit ſubiecta. Vbi etiam maleficia et ſcelera manifeſta ſunt, ueluti predę, rapinę, et ſimilia: nec eſt, qui uelit aut poſſit corrigere. Nõ enim nego uos in his caſibus debere uel poſſe ueſtram potentiam exercere: ſed non de iuſto uel iniuſto, quia de hoc non habetis cognoſcere, aut manum ad hoc apponere. Et cũ manifeſtum fuerit atq; per ſententiam iuris, aut euidentiam ſceleris, quæ nulla egent cognitione; tunc poterit ad uos iſta materia et forma (de quibus dictum eſt) pertinere. alias ſi propter peccati colligantiam uultis de prænotatis caſibus cognoſcere, non re ſtat, niſi fores principũ claudere, leges ſilere, et decreta principũ, ſed ueſtra ſola reſonare.

Artare

Artare uos uolo et urgere una queſtiõe, utrũ ſit ueſtrum de cauſa matrimonij cognoſcere, quia ego uado Paduę pro quadã hæreditate, quam peto noïe uxoris meę, quę habet in ea ſuccedere. Videtis, ꝙ ratiõe matrimonij mihi competit petere illam hęreditatem. Nunquid propter matrimonij colligantiã, de quo habetis cognoſcere, debeo corã uobis de hęreditate litigare? Rupertus de Flandria pro uxore ſua petens ducatũ Burgundię noïe dotis, debuit corã rege et nõ coram eẽpo litigare. Imo plane dico oĩbus clericis inhibendo ne cognitionẽ de dote cõtra deũ et iuſtitiã uſurpẽt, cũ ꝓmiſſio dotis mere et uere ſit pactio temporaľ, et ſępe firmari poteſt regalib⁹ inſtrumẽtis. Et quia uos uſurpatis aliena, euenit uobis illud uero dei iudicio, ut aliquid patiemini. Patet ergo, ꝙ ſit uanũ et friuolũ, ꝙ ex tali uicinitate ueletis uobis fingere colligantiam in cognitione cauſarum, q̃uis ad hęc oĩa unum ſolũ debet nobis ſufficere, ꝙ ſupra memorauimus de Euangelio Lucę, dicente dño Ieſu: O homo quis me conſtituit iudicem et diuiſorem inter uos. Oſtendit enim manifeſte, ꝙ ſecundũ eam poteſtatẽ (quã homo mortalis exercuit) non pertinebat ad eum de hæreditate iudicare. Clericus. Nonne debent temporalia ſpũalibus deſeruire; ergo temporalia

debent

debent esse subiecta spũalibus, et spiritualis potestas temporalem debet regere potestatem. Miles. Vere debent spiritualibus temporalia deseruire suo casu: quia tenentur dei cultoribus necessaria ministrare. Nam hoc omnis gens, quasi innatum habuit et habet instinctum, et hoc naturali iure decreuit natura naturans: ut ministrantibus creatori, seu diuina celebrãtibus, necessaria ministrentur, honoris debita et uitę necessaria prebeantur. Quod etiam Pharisęis in lege (quam dominus Mosi tradidit) et sacerdotibus abundanter et caute prouidit: non tamen dominium et regnũ temporale commisit. Et apostolus ad Corintheos: Si spiritualia uobis seminauimus: non est magnum, si carnalia uestra metamus. Sed si uultis scire, quale dominiũ prebeat ministris: accipite p ordinẽ uerba Christi et eius apostoli Pauli. Dicit enim Christus discipulis suis ad prędicandũ missis: Dignus est enim operarius mercede sua. Et Paulus de se et cæteris apostolis ait: Quis militat suis stipendijs unq̃? quasi diceret nullus. Et scriptum est in lege Moysi: Non alligabis os boui trituranti: Ecce quibus uos comparant Christus, et Paulus eius apostolus: utiq; operarijs et stipendiarijs. Nunquid operarij et stipendiarij sunt rerum domini? uideris q̃

tempo

temporalia conceduntur uobis, non ad dominium, ſed ad uitę ſubſidiū, et ad ſpiritualis miniſterij ſumptum. Et ex lege Moſi comparamini boui trituranti, cui ſatis eſt accipere pabulum, quamq̄ ipſe ſuo labore impleat horreum. Et q, dicitis ſpiritualem poteſtatem regere temporalem poteſtatē: iam uobis eſt p apoſtolū Paulum ſuperius reſponſum, ibi: q, oīs pōtifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in his, quę ſunt ad deū, ut offerat dona et ſacrificia pro peccatis. Et in his habent nos regere, uidelicet quæ ſunt ad deū: ſed ad eccleſiam non pertinet in his, quę foris ſunt, aliquid iudicandum. Quod ſi adhuc contenditis ſummum pontificem ſuperiorem eſſe per omnia: in deriſiones mirabiles incidetis. Si enim cū creatur Papa, creatus ſit dominus omnium. Simili ratione creare ep̄m erit creare illius patrię dominum: et ſacerdos meus erit dominus caſtri mei, et dominus meus: quia ſicut poteſtas papę in toto, ita poteſtas iſtorum eſt in illa parte, cui p̄eſt. Ergo ceſſandum eſt ab hac ſtultitia, quæ ab omnibus irridetur: et tantis ſcripturarum elementis ac rationibus confunditur; Nam in ueteri lege dicimus non ſacerdotes a regib⁹, ſed reges et principes a ſacerdotibus et prophetis adorari, et eos ad ſe uocari, et quæ

place-

placebant regibus imperari. Et in his, per quæ interdum errauerant, publica dispensatione temporalium increpari: ut patet tercio regum primo et quarto cap. Clericus. Miror, q̃ dicitis super dispensatione temporalium regem arguisse põtificem. Miles. Vos excitatis canem dormientem: et cogitis me loqui de his, quæ ante non cogitaui. Clericus. Excitetur canis, et latret. Miles. Quoniam uti nescitis utilitate et patientia principum: timeo, q̃ post iustum latratum sentietis et morsum. Clericus. Quid interest regum et principum super dispensatione temporalium nostrorũ: ipsi sua habeant, et nobis nostra dimittant. Miles. Nostra multum interest per omnem modum. Nunquid non interest nostra circa salutem animarum nostrarum super omnia cogitare? Nunquid non interest nostra pro parentibus mortuis debita prosequi? et etiam obsequia postulare? et nonne uobis a parentibus nostris ad hoc nostra temporalia sunt data, et copiose ministrata, ut in cultu diuino totaliter expendantur: sed certe nihil facitis inde, sed omnia uestris necessitatibus applicatis, quæ per elemosynas et opera charitatis in uisceribus pauperum claudere deberetis. Nonne est necesse, q̃ per huiusmodi sanctissima opera

mortui

mortui iuuarentur, et ſaluarẽtur uiui? Nonne cum ea ad propria expenditis, ſuperfluecq; conſumitis, et ea contra intentionem dantiũ, et etiam quodammodo accipientium diſpergitis ea male utendo? uiuos et mortuos leditis, et uiuis et mortuis damnabiliter derogatis. Nonne ei, qui non uult militare, auferetur ſtipendium? Et certe uaſallus non implens ſeruitium, meritum perdit et feudum. Et ut uobis imponam ſuper hanc queſtionẽ ſilentium, et q; ſuper hoc noſtrum ſit dolere et remedium apponere, accipite fortiſſimum et apertiſſimum capitulum ſacræ ſcripturæ ſecundo Paralipomenon. 14. cap. Legitur enim de rege Ioas. Fecitq; , quod bonum erat coram domino in cunctis diebus Ioiadę ſacerdotis. Et de eodẽ rege legitur in quarto regum. 12. ca. Vocauit rex Ioas Ioiadem põtificem, et ſacerdotes dicens eis. Quare ſarta tecta non inſtauratis templi? Nolite ergo amplius accipere pecuniam a populo iuxta ordinem ueſtrum: ſed ad inſtaurationem templi reddite eã. Prohibitiq; ſunt ſacerdotes ultra accipere pecuniam a populo. Vides ergo, q; laudatur rex Ioas a domino, qui curam acceꝑit, ut oblationes iuxta intentionem dantiũ expenderentur in cultum diuinum, hoc eſt ad inſtaurationem templi. Laudat enim regem

Ioas

Ioas deus, ut ostēderet, q̄ non delinqueret: quia non cupiditate sed pietate, non ambitione, sed religione id faceret. Ad tollendū suspitionem rex uolebat testem habere ipsum pontificem, ut sequitur: Cumq̄ uideret nimiam pecuniam esse in Gazophilacio, ascendebat scriba regis et pontifex, effundebantq̄, et numerabant pecuniam, quæ inueniebatur in domo dñi: et dabant eam iuxta numerum atq̄ mensuram in manu eorum, qui præerant cementarijs domus domini. Ecce laudata est regis religio, qui curā gessit, ut bona illius ueteris ecclesię saluarentur sollicite, et expenderentur religiose. Scio, q̄ dura sit uobis hoc audire, cum tamen nihil referro, nisi uerba scripturæ. Dictum enim uobis est superius, q̄ hæc accepistis omnia ad uitę subsidium, et ad sanctę militię stipendiū, ad uictum habendū et uestitum: quibus duobus dicit apostolus se esse contentū, et quicquid supereſt, in pios usus pauperum et miserias egrotantium expendere debetis. Quod si non feceritis, multū nostra interest de eisdem curam habere: ne animas mortuorum, salutemq̄ uiuorum defraudetis. Clericus. Rex iste Ioas bona sibi non tulit, sed in usus ecclesiasticos expendit: uos autē hodie bona nostra tollitis, quæ non in religiosos usus,

sed in militares tumultus et bellicosos classes expenditis. Vnde exemplum (quod indux istis) uestris operibus aduersatur, et uestram uiolentiam solum colorat. Moses. Semper in malum uestrum contra stimulum regum calcitratis. Est ne hoc uobis molestum, quod de bonis ecclesiæ secũ tollunt nepotuli uestri et consanguinei aliæq; personę interdum inhonestę? Sed uobis est omnino intollerabile et molestũ, quod rex mansuete petit a uobis, et pro grato accipit pro uestra salute et defensione ecclesiæ et bonorũ uestrorũ. Clericus. Me miserum, pellemq; meam tollitis cum carnibus: et hoc appellatis salutem. Moses. Non perstrepite, sed patienter audite: considerate uicinos uestros suis egere et ad uestram respicere. Si deficeret regis potestas, qualis esset requies uestra? Nonne nobiles egeni et prodigi, si consumpsissent sua, cõuerterentur ad uestra? Ergo regia manus, uester est murus, pax regis pax uestra, salus regis salus uestra. Qui si deest, aut forsan esset subiecta, uel peccatis uestris exigentib⁹ a uobis discederet, et uicinis sup bona uestra crassantibus nunc exigentibus, nunc minantibus, atq; uastantibus bona uestra, cogeremini omnibus seruire. Si uideritis prorsus bona uestra perire, quanto uelitis tunc redimere,

mere, quod manus regia rediret, ſicut prius. Videtis ergo cum pauca regi traditis, quomodo ſalutem ueſtram redimit, quando omnia bona ueſtra deperdenda ſaluat. Sed ſicut uos ſemper fuiſtis beneficijs ingrati: ſic eſtis nũc in ueſtris profectibus queruloſi. Quod ſi manus hoſtilis, rege cadente, regnum inuaderet: nonne omnes prædis et rapinis interiretis, et ferocitatem barbaricam, quam uobis implacabilem ſentiretis, relictis ſedibus, territi et attoniti fugeretis, et totum perderetis, qui modo ſup minimis doletis? Quod ſi reges et principes ſuis ſtipendijs ſuiſq; periculꝰ tenentur uos defendere, ſeq; morti pro uobis gratis exponere, et uos ſub umbra quieſcere, commedere, iocunde bibere, ſup lectos ornatos quieſcere, quiete dormire, et in ſtramẽtis mollibus laſciuire. Ergo et uos uere eſtis ſoli domini, reges uero et principes ueſtri ſerui, et illi pro uobis et res et perſonas offerunt morti. Si datur perſonis eccleſiaſticis requies, non eſt magnum, ſi pro laicis ſeruent opes. Hoc dicitis eſſe durum, ſed non quieſcitis, donec more ſolito conuicti fueritis, ac etiam confutati diuinis (quibus non poteſtis obuiare) ſcripturis. Nam de Ioas rege ſuperius dicto ſcribitur. 4. re. 12. et 2. Paralip. 24. Quamobrem tulit Ioas rex

Iuda omnia sanctificata, quæ consecrauerãt Iosaphat et Aaron et Mosa pater eius rex Iuda, et quæ obtulerat ipse, et uniuersum argentum, quod inuenire potuit in Thesauris templi domini et Palatio regis, misitq; Azaeli regi Syrię, et recessit a Hierusalem. Ecce aperte patet, quod pro redemptione populi accepit ea, quæ consecrata erant in templo: non tamen pepercit regis palatio, quando tulit ista de templo. Eodem modo. 4. re. 18. legitur sic de Ezechia rege sancto. In illo tempore confregit Ezechias Valuas templi domini, et laminas auri, quas ipse affixerat, et dedit regi Assyriorum. Quodsi dicas, q; Ezechias egerit male. respondeo, sicut dicit 2. Paralip. 32. Ezechias non reprehenditur in omnibus suis, præterq; in legatione principũ Babylonis. Quis ergo damnabit illũ, quem in omnibus scriptura laudat. Si erratis, non intelligentes scripturas, quid ergo contra rẽges et principes contenditis. Legitur Mat. 5. Non propter locum gentem, sed propter gentem locum dominus prælegit. Non est ergo percendum ecclesiæ materiali, ubi discrimen imminet populo christifideli. Quod sanctus Ezechiel et Iosephus intellexit, et fideliter adimpleuit. Si enim bona uestra sint ecclesiæ, et populus in ecclesia est, quanto

iustius

iuſtius ſubſtantia in ea (ubi ſalus populi pen det) expendenda eſt? Vnde dñs Matthei. 12. Dico uobis, q̃ templo maior eſt hĩc. Nec dubium eſt, quin templum ſpirituale (quod eſt homo) dignius ſit templo materiali et lapideo. Intelligat ergo rex pius et prudens in his uerbis domini dei uoluntatem: nec ulterius querat autoritatem. Nec eſt percendum materiali templo, nec his quæ dedicata ſunt templo: ut ſalus reddatur et pax periclitanti populo chriſtiano. Nec eſt blandiendum eccleſiarũ ſuperfluitati, imo ſuccurrendũ tantę gentis neceſsitati. Sed quia ex ea (quæ ſibi dicuit) iure diuino uult facere cum beneplacito ueſtro, non ueremini exaſperare regem in mãſuetudine uobiſcum agentem, et ſolida beniuolentia uos regentem. Cauete uerbis Salomonis: quia ira regis nuncius eſt mortis. Clericus. Si poſſunt reuocari, quæ ſemel deo donata ſunt: ergo irritari poſſunt omnia uota. Miles. Hoc non eſt, quæ deo data ſunt reuocare, ſed illis uſibus (quibus fuerunt data) applicare. Quæ enim ſunt deo data, ea ipſa ſunt pijs uſibus dedicata. Quid enim poterit ſanctius eſſe, q̃ chriſtiani populi ſalus? Et quid precioſius domino, q̃ hoſtes, raptores, et interfectores arcere a populo chriſtiano? et q̃ pacem ſubiectis et fidelibus

emere? Cum ergo in his bona ecclesiæ expendantur, ueris usibus (quibus fuerant dedicata) reddantur. Clericus. Si ad scripturas sacras recurritis, quare libertates nostras confringitis: quas libertates constat nos ex ipsis traxisse scripturis? Dominus enim interrogat Petrum, Matthei. 17. Reges terrę, à quibus accipiunt tributum, an à suis an ab alienis? At ille dixit. Ab alienis. Dixit illi Iesus. Ergo liberi sunt filij. Vt autem non scandalisemus eos, uade ad mare, et mitte hamum, et illum piscem (qui primus ascendit) tolle: et aperto ore inuenies staterem, sume illum pro me et te. Vides ô miles, q̃ clerici Christi seruitio mãcipati omnino sunt liberi. Miles. Si Euangelium bene respicitur, à Christo solo census siue dragma petebatur, ideo pro Christo dari uidetur ista responsio. Ipse enim est filius dei, filius regis magni. Et sicut filius regis maior est præside, sic filius dei maior est, et maior erit Cęsare: et sic illa responsio proprie uidetur esse pro Christo. Attamen quia illi (qui principaliter ministrant regi) nullatenus ad publica onera sunt trahendi: concedimus, q̃ clerici in suis personis propriis sunt liberi: sed non hi, qui in mala uita et cõuersatione, laici qui non ad honorem dei, sed in fraudem domini sunt, sicut

ſicut patet ad oculum non tonſurati, ſed clerici Chriſtum ſequentes, ut Petrus, et ſacris altaribus mancipati concedimus in quantum plane de his, q̃ liberi ſunt: non dico clare per Euangelium: ſed quia Euangelio et eorũ officio uidebatur conſonum, indultum eſt eis hoc priuilegium principum. Nam ab origine Eccleſiæ dixit Paulus ad Romanos. 13. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Et poſt: Non ſolũ propter iram, ſed propter conſcientiã. Et poſt ibidem dicit: Reddite oĩbus debita, cui tributũ tributũ, cui uectigal uictigal. Videtis ergo, q̃ omnis aĩa erit ſubdita, et uactigalis, et tributaria. Sed, ut dixi, nũc eſtis in perſonis liberi, quia officio Chriſti mãcipati, nunquid per hoc et eadem libertate gaudebunt et agri? Si enim eccleſia emerit cenſualem agrum: nunquid cui ſoluendus erat cenſus, perdet eum? Cleticus. Non de cenſibus, ſed de exactionib⁹ ſermo eſt. Miles. Sicut ego ſuper certos agros habeo certum cenſum, ſic imperator ſuper orbem terrarum pro defenſione reipublicæ (cum oportunum fuerit) pro arbitrio uoluntatis poteſt leuare tributum. Clara enim ratione conceditur, ut reſpublica reipublicæ ſumptibus defendatur, et quęcunq; pars gaudeat iſta defenſione: ęquiſsimum

eſt,

est, ut cum aliis ponat humerum sub pondere. Si ergo minus iuste possessiones subditę sunt ad onus publicum, quantum ad annuum censum, ad quemcumq; trãseant, semper erunt sub onere: hoc est, ubi necessitas fuerit reipublicæ, sicut cum aliis indigent semper defensione. Quod si dicitis, ꝙ contra hoc præscripsistis longa usi libertate: Respondemus uobis, ꝙ q̃to benignitate principum fuerit libertas uestra longior: tanto (ubi maior apparent necessitas) debet esse uolũtas promptior ad subueniendũ. Nam et irridet scriptura uestram præscriptionem, cũ si Salomone usq; ad Ioas, et Ioas usq; ad Ezechielem non legitur esse factum, quod tamen Ezechiel perfecit. Nam et multę ciuitates priuilegijs et consuetudine ab exactionibus liberæ et patienter soluerunt et soluunt hodie: quod placuit principi pro defensione regni, uel comunitatis, uel personis. Et si deus (ut dicit) propter ingratitudinem reuocat peccatorum remissionem: uideatis ne propter uestram rebellionem non mereamini non minus, sed etiam plus onerari, et tandem facultate simul et potestate denudari. Clericus. Nunquid per reges tollendæ sunt gratiæ nobis per leges concessæ: et per beatorum

patrum

Patrum priuilegia ſanctæ eccleſiæ conceſſa; Miles. Fateor, et uerum eſt ampliſſima uobis priuilegia per bonos pontifices eſſe indulta. Scire uero debetis, ꝙ quicquid rectores reipublicæ faciunt, ad utilitatem reipublicæ intendunt: ad eam habentes oculum iuxta illam regulam: Cuncta diſponunt, in tantum ꝙ ſalutem reipublicæ, ſaluti propriæ (quod eſt in principe glorioſiſſimum) anteponunt, exemplo Dauid. 2. regũ. Vnde cõſtat et teſtimonio et recte ratione eos cõcedere: quatenus non poſſet in poſterum reipublicæ derogare. Vnde plane colligitur in omnibus priuilegijs hoc exceptum, ſcilicet ut niſi priuilegium indultum uideatur in poſterum reipublicæ nociturum, uel pro ardua neceſſitate, uel utilitate reipublicæ manifeſta mutandum. Igitur non eſt dubium, quin pro regni neceſſitatibus gratias uobis indultas legibuſq; ſanxitas poſſunt altiſſimi principes conſultiori ſuſpendere ratione, et ſecundum exigentiam temporis (ut inuenimus) per Salomonem ſapientiſſimum in pæna furti aliquid lege diuina mutatũ. Clericus. Imperatores ſanxerunt iſta, non reges: ideo per bonos imperatores ó Miles nunc erit legum guber naculà moderari. Miles. Hoc reſponſum eſt blaſphemiæ. Et quoniam (ut uidetur) aut originem

originem ignoratis regni: aut (quod uidetur uerius) illius altitudini inuidetis. Si Caroli magni regiſtrum inſpiciatis, et hyſtorias probatiſsimas reuoluatis: inuenietis, q̃ regnum Francie digniſsima conditione imperij portio eſt, pari diuiſione ab eo diſcreta, et equali dignitate et autoritate quingentis annis circiter inſignita. Quicquid ergo priuilegij et dignitatis retinet, imperij nomen in pte una, hoc regnum Francie in alia. Cum enim fraterna diuiſione Frãcorum regnum a reliqua parte diſceſsit imperij, quicquid in parte decedente et penitus ab imperio exeũte, imperium ipſum quondam obtinuit, aut ibidem iura altitudinis, aut poteſtatis exercuit, hoc principi ſeu Francorum regi in eadem plenitudine ceſsit. Et ideo ſicut omnia (quæ infra terminos imperij ſunt) ſubiecta eſſe noſcuntur imperio: ſic quæ infra terminos regni regno. Et ſicut imperator ſupra totum imperiũ ſuũ habet leges condere, eis addere aut demere: ſic et rex Frãcie, aut omnino leges imperatoris repellere, aut quamlibet (ſi placuerit) permutare: aut illis a toto regno ſuo pręſcriptis et abolitis nouas ſi placuerit promulgare. Alioquin ſi aliquid noui, ut ſæpe accidit, uiſum fuerit ſtatuendum, ſi rex non poſſet hoc, qui eſt ſummus, tunc nullus poterit:

rit: quia ultra eum non est superior ullus. Et ideo domine clerice linguam uestram coercete, et agnoscite regem legibus, consuetudinibus, et priuilegijs uestris, et libertatibus datis regia potestate præesse, posse addere, posse minuere quælibet æquitate et ratione consultis, aut cũ suis proceribus sicut uisum fuerit melius temperare: et ideo si aliquid p salute regni tuenda uideritis istis temporibus immutari, acceptate, et patienter hoc ferte. Paulo apostolo hoc uos docente ad Romanos.13. Qui potestati resistit, domini uoluntati resistit: ne qui contra stimulum calcitrent, iniuste semel puncti, iterũ se pungant. Obedite præpositis uestris, et subiacete eis, ad Hebreos in fine. Dauid autem sub Anathar principe sacerdotum tempore necessitatis panes propositiones (qui solis sacerdotibus [illegible]ant, et nullis alijs licebat comedere) eos comedit: et alijs dedit comedendos, qui secũ erant. Et Matthei.11. Sabbatum propter hominem, nõ homo propter sabbatum factum est. Itaq; dominus est filius hominis etiã sabbati. Et deuteronomij.33.ca. In manu tua magnitudo et imperium. Et ibidem. Et adorauerunt dominũ deum regem cæli. Ibidem. Et unxerunt ad Salomonem filium Dauid: unxerunt autem eum domino

in

in principem. Sequitur et Sadoch in pontificem. ut.2.paralipomenon.11.dicit. Nec quisquam iuret in domum domini, nisi sacerdotes, et qui ministrabant de leuitis tantummodo ingrediantur, qui sanctificati sunt: et totū relsquum nulgus custodias domini obseruet. Leuitę autem circundent regem habentes cingula. et siquis alius ingressus fuerit templū domini, interficiatur: sintq; cum rege intra et egrediente. Vnxitq; eum Ioada pontifex. ibi. Clericus. Adueſperascit, discedamus, mane his omnibus responsum faciam. Vale.

*

FINIS.

Thomas Berthelctus regius impressor excudebat. Cum priuilegio.